



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

De lectione. Cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

& iubilus in corde. Ac reuerenter ruminatum ac prolatum, immensam dulcedinem ac suauitatem secum adducit.

His peractis hac orationem adijcere poteritis.

Actiones nostras quaesumus Dominus aspirando praeueni, & adiuuando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, a te semper incipiat, & per te coepta finiatur. Amen.

#### DE LECTIONE.

##### CAPVT IIII.

**P**RAEMISSA hac praeparatione sequatur lectio, quae varia secundum materiei meditandae diuersitatem erit. Aliquando de morte, nonnunquam de purgatorio, quandoque de inferno, alias de caelesti gloria, aliquando de vita Iesu Christi.

Ego vero, quamuis tota Christi  
vita



vita pulcherrima, iuauissima, & ad mentem in oratione accendendam, accommodatissima & efficacissima sit: optarem, vt nunquam aut certè rarissimè, quando videlicet solennitas præsentis festiuitatis aliam meditationem exigit, à sanctissima Christi passione recedatis: præterquam cum Spiritus Sanctus dulcibus & mellifluis bonitatis suæ influxibus & inspirationibus aliò vos vocauerit.

O quantam voluptatem haurit coelestis Pater ex eo quod nos in vnigeniti filij sui, qui plurimas nostri causâ contumelias, illusiones, vilipensiones & probra pertulit, tormentis ac nece memoranda occupatos conspiciat: O quàm gratum habet cum ei in terris à pijs hominibus Christi in cruce pendentis imago ostenditur & offertur? O quàm acceptum est I E S V Christo in coelis, quòd filios suos, omnium poenarum & tormentorum quæ pro eis excepit meminisci, nec tanto beneficio per iugem memoriam,



riam, ingratos esse cernat.

*Oratio effi-*

*cacissima est*

*petere à B.*

*Virgine do-*

*nū aliquod,*

*per sanguinē*

*& passionē*

*filij sui.*

O beatissima virgo MARIA  
mater Domini mei IESV Christi  
dulcissima, quomodo facilius &  
efficacius à nobis permoueri & co-  
gi potes, vt pro nobis intercedas &  
ea quæ postulamus impetres, quàm  
si tibi dilectum filium tuum cruci  
affixum exhibeamus? sancta illius  
vulnera ostendamus? dolores &  
cruciatu enumeremus? tormenta  
singula proponamus? coronam qua  
diuinum caput eius cinctum & co-  
ronatum? flagella quibus innocen-  
tissimum corpus eius concisum &  
laceratum? clauos quibus manus &  
pedes eius transfuerberati? velum  
quo facies eius obuelata? fel quo in-  
summa siti potatus? & lanceam de-  
niq; qua post mortem eius coram te  
sacru pectus eius transfossam fuit?

MARIA, MARIA, quis est, qui  
donum aliquod quantumuis eximi-  
um & præclarum, etiam si cœleste  
regnum fuerit, à te impetrare con-  
tendat, quin hoc non citius assequa-  
tur, si te obsecret & obtestetur, per  
alapas,



alapas, per sputa, per blasphemias,  
probra, contumelias, iniurias & il-  
lusiones, quæ filius tuus nostrorum  
scelerum expiandorum causa tole-  
rauit?

Certò sciatis, fratres mei, nihil *Nihil in*  
ita magnum, dummodò licitum & *virtute pas-*  
salutare vobis sit, peti posse, cuius *sonis Chri-*  
non statim contempotes eritis, si illud *sti petitur,*  
secundùm hanc formam & metho- *quod non*  
dum postulaueritis, dicendo. *obtainetur.*

O MARIA Mater IESU, hoc vel  
illud à te peto per pretiosum illum  
sanguinem, quem filius tuus in lig-  
no Crucis nostri amore profudit.

O MARIA per sanguinem illum  
sanctissimum: per sanguinem illum  
pijsimum, quem speciosam faciem  
illius cruentare, ac per oculos de-  
fluere conspexisti.

O MARIA per sanguinem il-  
lum &c. per sanguinem illum &c.

O MARIA hoc à te flagito per san-  
guinem illum, &c. neque enim sic  
mihi petenti quicquam negare po-  
tes. Responde mihi mater Dei, te  
namque obtestor & adiuro per san-  
guinem



guinem filij tui. O MARIA hoc donum prorsus obtinere cupio, nec à clamoribus & obtestationibus cessabo, neque hinc recedam nisi me exaudieris.

Nihil ambigatis, filij mei, quicquid ita petieritis, vos sine vlla dubitatione impetraturos. Imò hoc addo fratres, si vniuersum celū, sanctos & Angelos omnes: B. Virginem MARIAM, & IESVM Christum; & quod amplius SS. TRINITATEM, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, omnia quæ in mundo sunt, sine vlla sui motione mouentē, commouere cupitis, hunc modum precādi amplectimini, Christumq; in Cruce pendentem eis exhibete.

Quapropter si ad sanctos clamaueritis: dicendo, O sancti & sanctæ omnes qui coelestia regna tenetis, vos per pretiosum sanguinem & sacram passionem Domini nostri IESV Christi, cuius virtute atque auxilio ad tantam foelicitatē peruenistis, deprecor atque obtestor, vt hoc donum mihi impetrare dignemini.



nemini. O Angelici spiritus vos ad-  
 nuro & obsecro per passionem &  
 mortē Domini nostri IESV Chri-  
 sti, cuius meritis & ope superbis &  
 rebellibus Angelis eiectis, atque in  
 ima terræ loca præcipitatis, vos in  
 cœlo stabiles permanere meruisti:  
 intercedite pro me. Denique si S.S.  
 TRINITATEM inuocando dixe-  
 ritis: O Pater: O Fili: O Spiritus  
 Sancte: O Sancta & indiuidua TRI-  
 NITAS, O IESV, O MARIA, O  
 Angeli, O Sæcti & Sanctę omnes hoc  
 peto, hoc postulo, hoc flagito pro  
 eo dono assequendo, vos obtestor  
 & obsecro, per singulas pretiosi  
 sanguinis Domini nostri IESV  
 Christi guttas, per singula tormen-  
 ta & cruciatus, ac totam denique  
 sacram passionē eius, & omnia quæ  
 pro nobis suscepit, fecit, & pertulit.

Hoc inquam si egeritis, & in pe-  
 tēdo perseveraueritis, B. Virginem  
 MARIAM, Angelos, & Sanctos  
 omnes facilē ad intercedendum  
 pro vobis permouebitis: ac Domi-  
 num IESVM ad vos inclinabit:

K 5 San-



Sanctissimamq; TRINITATEM  
quodammodo (si ita loqui fas est) co-  
getis, vt quicquid licite & humili-  
ter petieritis, vobis largiatur.

1. Cor. 2.

Non immeritè igitur S. Paule  
Apostole dicere potuisti: Nō enim in-  
dicare scire aliquid inter vos, nisi IESVM

Gal. 6.

Christum, & hunc crucifixum. Et iterum.  
Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Do-  
mini nostri IESV christi. Longius for-  
tè quàm par erat, digressus sum, sed  
ignoscite quæso, filioli, nam sic vo-  
luit is qui omnia potest: sic placuit  
Christo crucifixorem fieri semper-  
na laus & benedictio in sæcula sæcu-  
lorum. Amen.

Exhortatur  
filios suos vt  
lectio eorum  
semper in  
Christi pas-  
sione perse-  
uerent.

Vt itaque ad propositum reuer-  
tar, iterum dico: me cupere vt om-  
nis vestra lectio sit sub vmbra pul-  
cherrimæ huius plantationis, sub  
foelicissima inquam Sanctæ Crucis  
arbore.

Adam primus Parens humani ge-  
neris, post diuinæ iussione præua-  
ricationem, alium locum tutiorem  
& ab ira Dei securiorem, quàm lig-  
na paradysi inuenire nequiuit. Hinc  
ait



ait scriptura. *Et cum audissent vocem Gen. 3.*  
*Domini Dei deambulantis ad auram post*  
*meridiem, abscondit se Adam, & vxor*  
*eius à facie Dei in medio ligni Paradisi.*  
 Helias obdormiuit in vmbra Iuni- 3.Reg. 19.  
 peri. Agar cum fugeret Dominam  
 suam, abiecit puerum subter vnam  
 arborem, & flens ait: *Non videbo mo-*  
*rientem puerum* Gen. 21.

Sub hac arbore legendo, & medi-  
 tando peccator coelestes iras eua-  
 dit: sub huius arboris vmbra sua-  
 uem contemplationis somnum ca-  
 piendo: insidias maledictæ Iesabelis,  
 hoc est, carnis, quæ afflictum & fa-  
 tigatum Heliam, hoc est, spiritum  
 acerrimè persequitur, effugit.

Hic ad clementiam & compassi-  
 onem, Deum orando, legendo, &  
 meditando prouocat: In hac lectio- *Studium S.*  
 ne plurimum operæ & studij posuit *P. Francisci*  
 S. Pater noster Franciscus, qui non *fuit in pas-*  
 prius ab ea conqueiuit, quam ma- *sione Chri-*  
 nibus & pedibus, cum insigni & *sti.*  
 cum primis memorando miraculo,  
 sacra Christi stigmata cum clauis  
 impressa, ac latus luculento vulne-



re fauciatum vidit. Hæc fuit lectio illa dulcissima, quæ illi in apertione libri, tertio miraculosè admodum se obtulit.

Crucis enim sacrata lectio, ter Francisco se præbuit, dum ter librū aperuit; O Franciscè quàm vtilem operam in huius sancti libri lectione & meditatione collocasti: ora pro nobis S. Pater, vt tuis vestigijs inhærere, & tam eximij magistri non degeneres discipuli esse valeamus.

Itaque, filij, & fratres mei, consilium meum amplectimini, & quomodo insignes è fertilissima Crucis arbore ac Christi passione fructus decerpere possitis, animaduertite.

*Modus in lectione obseruandus.*

CAPVT V.

*Instruit filios suos de methodo, quam seruare debeatis*

**V**T itaq; suaues è passione Christi fructus carpere valeatis, necessarium est vt crebra & quotidiana, sed breui lectione, quatuor passionibus ab Euangelistis conscriptas vobis